

bus incrassato elongatoque insistit, superne vero in stylum cylindricum brevissimum tandem bifariam dehiscentem abit: stigma crassiusculum orbiculato-capitatum, ætate una cum stylo in duas partes secedit, extrorsum revolutas, ut bicorne demum appareat. Capsula ex ovali oblonga, acuminata, glabra, unilocularis, bivalvis, succrescentibus feminibus ultra corollæ faucem exserta, atque ad unam tertiam, sæpe & dimidiam longitudinis suæ partem, dehiscens. Semina angulato-fulcata aspera fusca.

VII.

LEONTODON CROCEUM.

Leontodon foliis lineari-lanceolatis, acutis, retrorsum dentatis, superne subhirsutis: scapo lævi; calyce erecto, ovato, hirsuto: flore croceo.

Prima fere gratas inter stirpes fuit quæ me salutarent, dum inter anhelitus anteriora alpium Judenburgenfium juga, Valerianæ Celticæ sedem, & Clusio olim visa, superassem. Et cujus observatoris oculos vel non eminus planta rarissima floris sui elegantia percuteret? Pascua aprica arida alpium amat, media rarissimas inter alpinas stirpes, Rhododendra puto, Veronicam bellidioidem, Avenam Scheuchzeri, Hypochærim helveticam & complures alias, quas recensere loci angustia vetat; heic locorum sat frequens, at nusquam alibi deinceps in toto itinere obvia. Dubius hærebam diu ad Hieraciane, an Leotodontis inter species referrem, familias affinitate naturali sibi adeo arcte nexus, ut perquam ægre inter complures utriusque species distinguas. Rebus tamen omnibus rite pensatis, plura suasere, ut rectius ad alterum ablegaverim. Perenni obliqua aut subinde horizontali nititur radice:

dice, simplici, crassiuscula, subpræmorfa, cortice inæquali saturate fusco extus vestita, albida intus, quæ undique fibras copiosas, teretes, crassiusculas simplices, satis longas, funiculorum adinstar perpendiculariter in terram demittit, superne marcidis prioris anni reliquiis foliorum cincta, saporis leviter amaricantis. Scapus, qui ea de radice solitarius semper, plura inter folia radicalia recta attollitur, teres est, & semipedem nec non novem & ultra pollices subinde æquat, fistulosus cæterum, striatus, glaber, læte viridis, aphyllus, aut quod rarissimum foliolo uno alterove lineari brevissimo vestitus, versus summitatem sub ipso calyce tantillum incrassatus, tumidiusculus, ibidemque molli & nigricante villo hirsutus, uniflorus. Folia radicalia in diversis speciminibus figura mire ludunt: ut plurimum tamen lanceolata sunt aut ex lanceolato linearia, acuta, margine inferiore retrorsum dentata, atque in petiolum scapi basi obvolutum, subamplexicaulem, albidum sensim magis magisque attenuata, læte viridia, glabra, aut superne nervoque in obversa pagina hirsuta, uncias quatuor circiter longa, lineas totidem fere lata; sed neque raro eadem conspexeris angustissima, vere lanceolato-linearia, margine subintegerrima aut perquam obscure denticulata, glabra superne aut pubescentia, ut ægre ejusdem plantæ folia crederes. Flos terminalis, speciosus, diametro suo unciam unam & dimidiam, sæpe duas æquat: ea tinctus flavedine, quæ croci extracto propria, quo grato colore, eoque vel solo a reliquis hujus familiæ speciebus distinguas & primo intuitu. Calyx ovatus duplici foliolorum laxè imbricatorum sed inæqualium serie componitur, sub florescentiæ tempore insigniter patens: foliola hæc lineari-lanceolata, obtusiuscula, integra, parallele sibi incumbunt, atque hirsutie nigricant, margine apiceque albida, scariosa, lineas tres, quatuor longa, vix lineæ dimidium lata. Squamæ non raro aliæ accessoriaræ præter extrema calycis foliola, basim illius augent. Corollæ ligulæ copiosissimæ in or-

C

bem



bem patent, atque foliola calycis longitudine multo superant: ipsæ lineares, striatæ, croceo colore utrinque æquabiliter tinctæ, apice subconniventi denticulis quinque quam minutissimis notatæ: inferne vero in tubum tenuem filiformem albidum villosum attenuatæ, una cum tubo pollicem dimidium, lineas septem, & ultra longæ, lineam unam latæ. Filamenta capillaria, brevissima ex tubi fauce enata, ligulis corollæ pallidiora: antheris in cylindrum connatis, pallide flaventibus. Stylus filiformis, antherarum longitudine: stigmate exserto, bifido, revoluta, ejusdem cum ligulis coloris. Receptaculum nudum, planum. Semina oblonga, fusca, glabra, striata, pappo coronata sessili plumoso, ipsis feminibus longiore.

VIII

SAXIFRAGA AUTUMNALIS.

Saxifraga foliis caulinis linearibus alternis ciliatis: radicalibus aggregatis.

Linn. syst. pag. 413. Allion. flor. ped. tom. II. pag. 70. num. 1525. Scop. pol. flor. carn. 2. pag. 293. tab. 14. num. 493.

Saxifraga foliis ellipticis ciliatis, caule simplici folioso paucifloro. *Hall. hist. tom. I. pag. 417. num. 971.*

Saxifraga foliorum margine ciliari, floribus luteis maculosis. *Seguier veron. suppl. pag. 200.*

Saxifraga angustifolia autumnalis, flore luteo guttato, foliis florum magis acuminatis. *Breyn. cent. 106. tab. 48.*

Sedum minus, flosculis luteis vel croceis, splendidis maculosis pulcherrimis. *Gesn. mont. fract. pag. 64.*

Sedula montana pulchra. *Gesn. oper. Schmied. curant. mas & femina. tab. append. fig. IV.*

Se-